

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

R. Cerae Citrinæ, } ana uncias duas.
 Colophonix, }
 Terebinthinæ, }
 Olei Euphorbii, unciam unam.
 Igne liquatis, addantur
 Pulveris Cantharidum, uncias tres.
 Piperis nigri, seu longi, unciam unam.
 Misce secundum artem ad usum.
 Eosdem producit effectus, ac præcedens.

CAPUT XXXI.

DE CAUTERIIS.

Cauterium est medicamentum, quod externè applicatum, cutim, & carnem in duram crustram, seu scharam exurit, & convertit.

LAPIS INFERNALIS, SEU LUNA CAUSTICA.

R. Argenti Cupellati, unciam unam.
 Aquæ fortis, seu spiritus nitri, uncias duas.
 Omnia injiciantur in vase vitreo, ut argentum dissolvatur, tunc ad siccitatem evaporetur; dein lento igne in crucibulo fundatur, ut instar olei appareat, statim crucibulum ab igne separetur, & in conum fufforium effundatur, lapisque refrigeratus in vase clauso ad usum servetur.

Hic Lapis causticus est.

LAPIS CAUSTICUS.

R. Calcis vivæ,
 Cinerum Clavellatorum, seu
 Salis Tartari, ex æqualibus
 partibus Nitri, & Tartari
 crudi facti, } ana libram unam.

Misceantur, & infundantur in

Lixiviî fortissimi, libris sex.

Mistura hæc probè agitetur, ut partes activæ dissolvantur, dein filtretur, & liquor clarus evaporetur ad siccitatem usque: ac ex massa relicta formentur Cauteria diversæ magnitudinis, quæ in vase benè clauso ad usum servantur.

Notandum verò, quòd alia in Officinis conficiuntur Cauteria, ut *Butyrum Antimonii*, *Arsenicum Sublimatum Corrosivum*, &c. sed de his vide suo loco.

